

2696.

1311 Dezember 27 Vietmannsdorf.

Die Markgrafen Waldemar und Johann V. von Brandenburg vergleichen sich mit Bischof Andreas von Posen wegen der Zehnten im Lande zwischen Drage, Neze und Kliddow.

In nomine domini amen. Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod nos Wlodemarum et Iohannes dei gracia de Brandenburg et Luszacie¹⁾ marchiones, accedente nostrorum comitum et baronum consilio et assensu, cum venerabili in Cristo patre domino Andrea dei gracia episcopo et suo capitulo Poznaniensi super decimis circa Novum Kalisz, Tempelburch, Arneskrone, Valkenburch, Velene et omnibus et singulis bonis inter Notszam et Dravam et Notszam iterum et Kuddam fluvios situatis, iam locatis pariter et locandis necnon de omnibus aliis bonis nostri dominii sub Poznaniensi diocesi constitutis, exceptis bonis, super quibus lis inter Poznaniensem et Kamenensem ecclesias ventilatur, et bonis aliis omnibus sub dominio marchionis Iohannis specialiter constitutis, dicto episcopo et suo capitulo iure dyocesano debitis, empcionem fecimus et contractum, videlicet ut dictus episcopus et suum capitulum cum suis successoribus in Arneswold, Kamenensis diocesis, de annua contribucione proprietatem quinquaginta marcarum Brandenburgensis ponderis et monete in diebus beate Valpurgis viginti quinque et beati Martini episcopi viginti quinque annis singulis in perpetuum percipiant inconcusse, contradicendi²⁾ occasione procul mota. Habebunt etiam dicti episcopus et capitulum et eorum successores pro dictis decimis ducentos mansos Theutunicos nondum cultos in dicto territorio inter dictos fluvios situatos cum decimis pleno iure nobis debito libere et pacifice iure proprietario perpetuo possidendos, ita quod in bonis predictis nullum nobis ius et nostris successoribus penitus reservamus, nullo modo ullas exactiones, tallias aut precarias aut aliquas angarias et perangarias in memoratis bonis ullo unquam tempore faciemus aut ab aliis fieri patiemur, sed bona ipsa tuebimur contra quemlibet violentum. Ne autem super premissis tractatu per nos rite facto cuiquam hominum in posterum possit dubium suboriri, presentem paginam desuper confici iussimus et nostrorum sigillorum munimine de nostro consensu et certa scientia communiri, presentibus nostris fidelibus, scilicet domino Gunthero de Kevernberg, comite, nobili Conrado de Redern³⁾, Drosekino de Crochern⁴⁾, militibus, Slothekino⁵⁾, nostre curie prothonotario, et aliis quam pluribus fidei testimonio decoratis. Actum et datum in Vitemsdorff⁶⁾ anno domini M^o CCC^o XII, in die beati Iohannis apostoli et evangeliste.

1) Luszam. Kop. 2) contradictione et. Kop. 3) Reden. Kop. 4) Grochen. Kop. 5) Slochekino. Kop. 6) Buchszendorp. Herzberg u. a.

Nach dem Liber privilegiorum B Bl. 177 im Domkapitelarchive zu Posen. Dreger, Cod. Pom. dipl. mscr. VI Nr. 1205.

Gedruckt (von Herzberg), Exposé des droits de sa majesté le roi de Prusse sur le duché de Pomerellie S. 45 (Ausführung der Rechte Sr. Majestät auf das Herzogtum Pommerellen S. 53); Delrichs, Beiträge zur Brandenburgischen Geschichte S. 31 Nr. 8; Gerden, Cod. dipl. Brand. V S. 287 Nr. 156; Riedel, Cod. dipl. Brand. II 1 S. 338 Nr. 425; Cod. dipl. maj. Pol. II S. 304 Nr. 959; Geschichte des Geschlechts von Kröcher I S. 57 Nr. 98 (Reg.).

Die Urkunde ist bisher stets ins Jahr 1312 gesetzt, da aber jedenfalls Weihnachtsdatierung anzunehmen ist, gehört sie richtiger zum Jahre 1311.